



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Vita Et Morib. Ignatii Loiolæ, Qvi Societatem Iesv
Fvndavit, Libri III**

Maffei, Giovanni Pietro

Dvaci, 1585

Societas augetur, distribuuntur prouinciæ. Cap. XV.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44004

rent, quòd nullam omnino ex Ignatij concionibus omisissent. Agèdi autem rationem sequebatur eiusmodi. Fidei præcepta & mysteria cognitu necessaria, primum ad vulgi captum explanabat, iterabatq. vbi opus esset, eadem sæpius: deinde opportunis digressionibus certos interim locos tractabat fusius, non tam ad ingenij vel doctrinæ ostentationem, quàm ad pietatem excitandam, populumq. permo- uendum accommodatos. idq. tam veris grauibsq. sententijs, tam ardenti vultu oculisque, vt diuini amoris ignem vndiq. spirare videretur, minime fucate eloquentiæ vir, nec in singulas voces numerosq. sollicitæ, sed ingenti animo, prout impetus tulerat, sua sensa prosequens. Itaq. perorationem eius, nõ ineptus populi plausus, aut stultæ facundiæ commẽdatio sequebatur, sed alta suspiria gemitusque, & anteaactæ vitæ detestatio salutaris: vt vel defixis humi oculis tristes ac sibimet irati discederent: vel etiã illico sese ad sacerdotum pedes abijcerent confitendi causa tanto cum fletu atq. singultibus, vt linguã soluere, aut vocem in verba formare vix possent.

Societas augetur, distribuuntur prouinciæ.

CAP. XV.

INTER hæc Societas maiorem in modũ crescere, sublatisq. Põtificis decreto cãcellis, quos initio idem Pontifex (vt dictum est) illi probandæ præfixerat, multi certatim ad militiã spiritualem Ignatio dare nomina. Cumq. noui ordinis fama, bonusque odor instituti operis manaret quotidie latius; Patres varijs orbis terræ locis vehementer expetebantur. Itaq.

Itaq. ab Romana domo tamquã à metropoli, diffi-
cillimas in regiones, ciuitatum Regumq. inuitatu
missæ colonie; domusq. vel collegia ingenti appro-
batione cõstituta: primum omniũ in Lusitania, atq.
adeo in ipsamet India, sumptu ac munificẽtia Regũ
Lusitaniæ; tum aliorum pietate in Hispania, Gallia,
Germania, Italia. sed cum aliæ pleræq. nationes au-
de Societatem amplexæ sunt, tũ vero Sicilia & inui-
tauit perhonorifice, & permissu Pontificis maximi
acceptam, in primis copiose ac benigne tractauit;
adnitẽte præsertim Ioanne Vega Hispano (qui re-
gnum illud pro Cæsare administrabat) præstanti nõ
minus religione, quã prudentia viro; cuius, etiam an-
tea, dum Romæ legatus Cæsaris ageret, plurima &
maxima in Ignatiũ & socios egregiæ cuiusdam be-
neuolẽtiẽ documenta cõstiterant. Itaq. tam late iam
fusa Societate, nõ modo collegijs domibusve recto-
res præficere, vt antea, sed etiã Prouinciales præpo-
sitos quos appellant, cũ ampla potestate in singulas
nationes describere coactus Ignatius est. Ac primũ
Lusitaniæ præposuit Simonem Rodericum, deinde
Hispaniæ Antoniũ Araozium Catabrum, Italiæ Ia-
cobũ Lainem, Indiæ Frãciscum Xauerium, Germa-
niæ Petrum Canisiũ, Galliæ Paschasium Broëtium,
alijq. deinceps alios. Nam urbanã prouinciam, nisi
si quando grauiori valetudine premeretur, ad extre-
mũ vsq. ipse administrauit. Interea de Societatis v-
niuersæ progressu mire sollicitus, à singulis Prouin-
cialibus per litteras pensum exigere; vnicuiq. mãda-
re diligentissime quæ è re cõmuni essent; Romę ve-
ro, præter domesticæ disciplinẽ curã, de qua dictum
est, ceterasq. functiones, multa & graua quæ ad in-
crementũ ac defensionẽ catholicæ fidei pertinerẽt,
partim

partim cum summo Pontifice, Cardinalibus, legatisq. Principum coram, partim etiam cum ipsis Regibus atque Principibus per epistolas & interpretes agere. Accedebat ad hæc, sollicitudo ingens, atq. indefessus labor in subleuandis pauperum difficultatibus; orbium orbarumq. educatione ac pudicitia procuranda ruendaque, & perditis mulierculis à turpi quæstu ad frugem & continentiam traducendis.

Varie in Ignatium tempestates excitantur.

CAP. XVI.

VIBVS ille rebus dum Christi causam agit intrepide, multorū vt fit, odia simulatasq. contraxit. In ijs aulicus quidam (cuius nomini parcitur) eo tempore potens & graciosus, cum abductam à se mulierculam, quam misere deperibat, & in male nuptarum, vt appellant, cœnobio collocatam ferre non posset; sæuiore in dies concepta rabie, quam libido & amor incendebat, ita demum exarsit, vt pæne furere videretur. Ac primum, facta manu, fenestras cœnobij lapidibus petere, custodes infestare, minari: deinde in Ignatium auctorem, & socios, in circulis cœtibusq. omnia maledicta conferre, quin etiam ex occurso probris & contumelijs eosdem incessere; deniq. ad eos funditus euertendos, improbissimas in ipsorum vitam calumnias dissipare; quæ domos primum nobilium circumlatæ, celebratæq. sermonibus (quos partim prona in deterius persuasio, partim vāsani illius artificium dolorq. excitabat) ad Cardinales etiam, atq. adeo ad ipsum Pontificem peruenerunt.

Igitur